



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Poderes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A Romanorum ordinibus, nuncupationibus, vexillis, & gestaminibus, ad Theodosium & Valentianum inscripto, lata de Thoracomacho indumento laneo Lybicis pellibus cooperto mentio est. Sed usitatus semper fuit corii usus in militaribus tegumentis. Hinc apud Maronem nonnulli,

*Lupi de pelle galeros  
Tegmen habent capiti, vestigia nuda sinistri  
Instituere pedis, erudus tegit altera pero.*

## BLEBECULA. XVIII

Tunica autem, plebecula signum erat, eaque etiam servi utebantur. Vulgatissimum enim est, Tunica aliquem ex Romana plebe significari. Unde Horatius, epist. lib. i. epist. 7.

*Vilia vendentem tunicato scruta popello.*

Quæ vero esset tunicæ species, Nonius explicavit, cum sine manicis eam esse dixit, & plurimum talarum sine manicis esse ostendit, indumentum aptum ad opera faciendâ, eaque gens otii propemodum nescia erat. Hinc Virgilius vulgo gratulaturus, manicatos irridet, utpote minus idoneos qui bella negotiave, aut artes ullas traçant. Numanum enim Latinum hominem sui generis strenuitatem jaçantem, & imbelliam Phrygibus objectantem, ita loquentem inducit:

*Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.*

*Vulgo imperitii & tunicus populus transtus vocat. Corn. Tac. in lib. de O-*

*Encl. l. 7.*

## ILITHYIA. CAP. XIX.

Sed ut antiquiora repetamus, Atheniensium institutum fuisse Pausanias tradit, ut Ilithyia simulacra ad imos usque pedes contegerentur. In Divinis vero literis tum tunica, tum color ejus hieroglyphice consideratur. Pontifex enim præter interiorem tunicam, quæ sit ex lino, materia quippe terreftri, Podere etiam vel hypodyti dicamur hyacinthino induebatur. Cælestis enim color, dubio procul est hyacinthinus, monumentoque est cælestia demum meditanda, cælestia tractando, cælestia discutienda, totamque mentis agitationem circa ea, quæ cæli sunt exercendam. Sunt vero interpretes, qui non Hypodytin, sed Epanytū edidere, quod indumentum signat quod superinducitur, nimirum enim hypodytis interior est tunica, quæ primam nostram indicabat generationem, ut apud Hierosolymitanum Hefychium. Alii exponunt, quia hominem ostendunt interiorem: alii tunicam hujusmodi justitiam interpretantur.

*Hypodytis Pontificis indumentum.*

## DE PODERE. CAP. XX.

Stantem poderes, ut Eucherius, sacerdotalis vestis linea, corpori penitus adstricta, eademque talaris, *ἰσὸν τῆς πόδων* appellata *ποδῆγος*, quæ & subucula dicitur. Per hanc igitur, quippe quæ vestimentis aliis subiciebatur, doctrinam sacrationem intelligi veteres Theologi tradiderunt. Exodo:

*Et fecerunt vestimentum poderum sub umbone, opus textile, totum hyacinthinum.*

*Exod. t. 28*

## PUDICITIA. CAP. XXI.

Quod vero in numis & monumentis aliis antiquis velata nonnumquam facies observantur cum inscriptione *PUDICITIA*, non tam ob flammeum, quo novæ nuptæ faciem obnubere solita sunt, cum ad virum traducerentur, unde illis nuptarum nomen, quam ob historiam institutum crediderim, ut ita fieret. Ab Icaro enim Penelopes patre simulacrum ejusmodi dedicatum Pudori ferunt, Græcique historiam super hac re hujusmodi conscripsere. Cum Icarus ab Ulyse frustra contendisset, ut Lacedamone habitare mallet, id demum filia persuadere conatus est, cumque acrius inflaret, ne se desereret, Ulyses iussit ut ea sponte sequeretur, aut cum patre, si gravaretur, Lacedamona rediret: Penelope obtecta facie, nihil quicquam respondebat, quare pater intellecta filia sententia, eam dimisit, & in facti monumentum, eo loco pudoris simulacrum erexit, quod in Laconia spectabatur. In numo, cujus inscriptio est, *SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG.* ab altera parte dea sedens velo faciem cooperta, digito dexteræ indice ad jugulum admoto conspicitur, cujus inscriptio est, *PUDICITIA*. In alio Herennia muliebri sigillum sedens cum conto in lavam ulnam jacente, dextera velum ante faciem obducit, inscriptio est, *PUDICITIA AUG.* In eo quoque, cujus literæ ab una parte sunt, *MARCIA OTACIL. SEVERA AUG.* ab altera sigillum est, quod velum in faciem præten-

*Sabine Adriani Aug. Herennia numi.*